



CRodogangus patre illustri Sigiramno ran-
 Cone, & matre Landrada filia Caroli Martel-
 li natus fuit. Is puer in monasterio Trudonis edu-
 catus, postea in schola Metensi in omni genere li-
 terarum institutus est. Hunc ætate maturiorẽ Ca-
 rolus in aulam uocauit, atq; suum consiliarium cõ-
 stituit. Inde partes ei delegat cognoscendi causas,
 & ad sese referendi negotia. In eo munere se pru-
 dentem, iustum, & solertem præstitit, atque in pri-
 mis clericorum patronus extitit. Hinc factum, ut
 Metensis Ecclesiæ Episcopus ordinatus, & nihil-
 ominus Palatiij princeps dictus fuerit. Erat is facie
 decora, mitior columba, uelocior aquila, clemen-
 tior agno, & innocentiõ uitulo: habitu adeõ uili usus fertur, ut uix Episcopus
 à peregrinis agnosceretur. Cilicio, ieiunio, & uigilijs corpus suum uehemen-
 ter castigauit, in sceleratos rigidus, & in pauperes liberalis fuit. Is etiam regu-
 lam Canonicorum Metensium scripsit, & uarias Epistolas hinc inde compo-
 suit. Itaque factum ut eum Pipinus auunculus Francorum rex ad Stephanum
 Põtificem miserit, quem etiam in Galliam ad Pipinum adduxit. Multa etiam
 Monasteria construxit, ac ea liberaliter exornauit. Cum autem eius tempore
 uariæ superstitiones cum sanctorum inuocatione irrepsissent, ipse quoq; ma-
 iorem uulgi partem secutus, eiusmodi defendit, atque in primis Romanæ Ec-
 clesiæ authoritatem commendauit, ita ut etiam Pontificia potestate ei permis-
 sum fuerit Episcopos ordinare. Cœlibatum etiam plurimum commendauit,
 atque spontaneam paupertatem, uitam monasticam, ieiunia, festa, Missas, &
 alia huiusmodi supra modum extulit. Tandem anno 765 apud Metenses obiit,
 & magnum sui desiderium reliquit. Sigeb. Hist. Eccles. Magd. Cent. 8. cap. 10.